



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Ignatius, sociique partim in Vrbe, partim foris Ecclesiæ nauant operam.  
XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45323**

IGNATIUS SOCIIQUE PAR-  
*tim in vrbe, partim foris. Ecclesie na-  
 uant operam.*

## CAPVT XV.

**F**alse accusationis procellā, magna  
 tranquillitas est consecuta: & quæ  
 à diabolo ad obscurandam verita-  
 tē fuerant comparata, ea (vt omnibus  
 in rebus, quæ quidem diuino patrocini-  
 o nituntur, fieri solet) ad illam ma-  
 gis illustrandam valuerūt. Quamobrē  
 summi viri multi à Pontifice Maximo  
 nonnullos ex nostris petunt, alios a-  
 liò: eos Pontifex libēter concedit. Mihi  
 si igitur sunt, magister Paschasius Se-  
 mas, vt virginum sacratum quoddam  
 cœnobium reformaret: quod & præ-  
 stitit: & vitæ integritate, mansuetudi-  
 ne, & insigni Christianæ simplicitatis  
 candore, multorum in Deum excita-  
 uit studia. Brixiam magister Claudi-  
 us Iaius, qui morum suauitate, omni-  
 que genere virtutis illius ciuitatis ani-  
 mos sibi obligauit, Christo que con-  
 iunxit. Cum Ennio Philonardo Veru-  
 lano, Cardinali Sancti Angeli, Parmā,  
 Placentiam que magister Petrus Faber,  
 & magister Iacobus Laines, qui in ijs  
 vrbibus, permagnos ex suis laboribus  
 fructus collegerunt, & non pauco-  
 rum viros, tum egregiæ indolis adole-

scientes ad Societatem adiunxerunt. In Calabriam verò profectus est magister Nicolaus Bobadilla, ubi populos quosdam rudes atque agrestes, plurimum ad pietatem excoluit. Neque verò ij, qui Romæ remanserant, otiosi fuerunt: nam cum frumenti caritas in vrbē tanta esset, ut multi aut fame interirent, aut vrbibus consumpti, in plateis passim iacerent: patres, ut huic malo, quod ad eius fieri posset, mederentur, pœuniam vndique corrogare, panem conquirere, herbas in pulmentum conficere, mendicorum hominum quantā maximā poterant turbam cogere, domum perducere, pedes abluere, inedia confectis cibo reficere, vlcerosos curare, rudes docere, nullum denique officium prætermittere, quod tum ad corporis, tum ad animi curationem pertineret. acciditque aliquando, ut tota domus ita cōpleretur, ut conquisitos, & medijs ex plateis abreptos egenos homines vix caperet, cū trecenti, quadringentiue, in strato humi sceno iacerent. Quæ res, magna populū admiratione affecit, & ad simile studium, aliorum pietatem excitauit. Multi enim viri clarissimi, & in his nonnulli Cardinales, hoc exēplo permoti, stre-

nuè operam nauarūt, ne annonæ inopia pauperes opprimerentur. Itaque tria millia egenorum hominum varijs in locis alebant. Ad nostros præterea nonnulli, ijsque præclari tum adulescentes, tum viri, adiuncti sunt.

*MAGISTER FRANCISCVS,  
Xavier, & Magister Simon in Indiam destinantur.*

CAPVT XVI.

**L** Vtetiꝯ Parisiorum Doctoreꝯ quendam Theologū, Iacobū Goucanum nomine, fuisse diximus, cum qui collegij diuæ Barbaræ moderator, iniusta indignatione cōmotus, virgarum supplicium in Ignatium primo constituit; veritate deinde, hominisque innocentia placatus, paratum supplicium in honorem ac reuerentiam vetit. Is erat vir pius, & grauis, & cum Ignatio, beneuolentia ex errore illa parta, coniunctissimus. Qui magno Dei gloriæ desiderio affectus, & Ignatij sociorumque æquè incensam voluntatem, & sensus in hominum salutem consentientes exploratos habens: scripsit ad Ignatium, magnum ostium in Orientis India apertum esse; latissimum ipsi sociisque patere campum, si  
qui.

*lib. 2. ca. 3.*